Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 573

Quelle:
Copyright:

in variis Exemplis, et Verſionibus apocryphae hujus, et a me non ſemel relatae Narrationis in calce ponitur: *Factum eſt in anno nonodecimo tyberii ceſaris imperii romanorum* &c. Narratio ipſa incipit: *Igitur Anna et Cayphas et Sobna et dathan. gamaliel et Judas leui neptalim alexander et ſyrus. et reliqui iudeorum uenerunt ad pilatum* &c. et, ſi rem, non verba ſpectes, cum editione *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* p. 238. decurrit usque ad hujus §. XXVII. Hujus porro loco inſeritur Epiſtola *Pilati* ad *Claudium* Imp. prior illa: *Nuper accidit, quod et ipſe probavi* &c. quam ad calcem *Nicodemi* p. 298. demum recitat *Fabricius*, et Epiſtolam, omiſſis, quae a §. XXVII. apud hunc leguntur, excipit Narratio de *Tiberio* aegroto *Jeſum* accerſere volente miſſo *Voluſiano*, qui jam a *Pilato* eum in crucem actum inveniens *Veronicam* cum ejus Icone *Romam* adduxit, per quam ſanatus Imperator Chriſtianus effectus eſt. Deducitur haec Fabula usque ad *Neronem* e *Pilato* et *Petro* de *Chriſti* divinitate et actis ſciſcitantem, quae omnia ad *Fabricii* citatum *Codicem* adjungi deberent, et veriſimiliter *graeco fonte* ceciderunt.

IX. *fol.* 167. p. 2. *Tractatus de coniugio cuius inſtitutio et cauſa oſtenditur.* Multo plura praeſtat hic Tractatus, quam pollicetur inſcriptio; omnes enim paene Quaeſtiones, quae de hoc Sacramento usque ad Sec. XIII. Patrum Dictis, Conciliorum Decretis, et Pontificum Reſponſis vertebantur, tangit, non raro etiam objectiones inſtruendo et reſolvendo. Initium eſt ejusmodi: *Cum alia Sacramenta poſt peccatum et propter peccatum ſumpſerint exordium, matrimonii ſacramentum et ante peccatum legi inſtitutum a domino, non tamen ad remedium ſed ad officium. Huius autem inſtitutio duplex eſt. Vna ante peccatum ad officium facta eſt in paradyſo, ut eſſet thorus immaculatus, et nuptię honorabiles, ex quibus ſine ardore conciperent, ſine dolore parerent. Altera poſt peccatum ad remedium facta extra paradyſum propter illicitum peccatum deuitandum* &c. Ne longus ſim, habes *Petri Lombardi L. IV. Sentent. Diſtinctiones* XXVI. — XLII. ita tamen, ut quaedam in Editis, quaedam in Codice aut deſint, aut redundent. Ut exemplum dem, deeſt in Editis *Diſt.* XXXVI. inter *Art.* 2 — 3. ſequens Rubrica: *Adrianus papa Eberhardo archiepiſcopo iuuauien. Inter ſeruos non debent matrimonia ullatenus prohiberi, et ſi dominis contradicentibus et inuitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc ſunt eccleſiaſtico iudicio diſſoluenda, debita tamen conſueta officia* (et) *ſeruicia non ex hoc minus ſunt propriis dominis exhibenda.* Non niſi de *Adriano* IV. et *Eberhardo* I. quaeſtio eſſe poteſt, quorum ille a. 1154—59. hic a. 1147—64. praefuit. Interim Epiſtolae, e qua *Rubrica* noſtra fuerit excerpta, nec in *Concill. citt.* T. XIII. nec apud *Hanſizium Germ. Sacr.* T. II. ulla mentio. Illam jam a *Petro* Sententiis

ſuis